



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

70.  
76

*Carmina*

GRATVLTORIA

IN HONOREM

NUPTIARVM PIETATE,  
RERVM PERITIA, NEC NON

virtutum ornamentis politissimo iuue-  
uis-viri Dn. LVCAE AB EN-

DEN civis Servestani &c.

ET

*PVDICISSIMAE PI-*

*AEQ VIRGINIS MARGARITAE,*

prudentissimi nuper consultissimiq; viri Dn.

Hieronymi VVulmanni, Consulis ibidem

optimè meriti p. m. Filiae relictæ;


A. D. XVI. Cal. Xbris anno

1601. celebratarum.

Boni ominis ergo dedicata ab amicis,

quorum sua cuiusq; versibus nomi-

na sunt adiecta.



SERVESTÆ.

Exeudebat Iohannes Schleer,

Anno ut supra.

2

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs or sections, possibly containing names and dates.





ΕΠΟΣ ΓΑΜΙΚΟΝ

AD NEONYMPHOS

ex Proverb. Salom, 31.

cap. v. 30.

Ἐδὴς ἢ χάρις, ἢ μάταιον τὸ κάλλος ἢ γυνὴ φοβουμένη  
τὸ κύριον, αὐτὴ ἀνέστω.



IT mea fas votis coniungere vota precesque,  
Quæ thalamis, pie SPONSE, tuis pro more li-  
rantur.

Et quamvis labor est suaves effingere TRISTI  
MENTE sonos; tamen hoc ( caveat modo  
dexter Apollo )

Connubiale, abiens tibi nostri pignus amoris  
Quod inquam, carmen sincero spectore pangis?  
O nimium felix! omnique ex asse beatus!  
Qui sibi legitimo coniungit federe costam,  
Costam, quæ PIETATE Dei, veroque PVDORE  
Ornata est. Magis hæc magis hæc ornata putatur  
Quam quæ fulgentes gerit in diademate gemmas.  
Sunt qui divitias, & inania nomina dotis,  
Et formam captant, captant & nobile nomen.  
Sed si quis nuptam his allectus dotibus ambit,  
Fallitur; & solæ caro si in pectore amorem  
Divitiæ pariant, non hic fatalis habendus

A

Sed



Sed fatualis amor. Perit ingens æris iniqui  
(Divitiæ justo minimè damnentur in usu)  
Copia, forma perit, multo licet illita fuce.  
Sola manet virtus, quam secula nulla nec anceps  
Sors variat, comites cui sunt Pietasq; Pudorq;  
Hoc Nymphæ decus est solum. Nam femina solum  
(Pagina sacra velut monstrat) quæ fida IEHOVAM  
Et timet, & colit, una decus laudemq; meretur;  
Cetera vana fluunt, ut: gratia, forma, leporq;  
Sit modò casta, viro satis est formosa puella,  
Sit modò casta, satis dotata est virgo, simulq;  
Virgineam turbam, ceu stellas Hesperus, anteit.  
**NIL MAGIS ADVERSUM DIVES QUAM NVPTA**  
(MARITO EST:

Namq; viri imperium nummorum vendit amator.

Hæc ô SPONSE cato meditatus es omnia sensu,  
Casta tibi ad sacram dum costa adducitur aram,  
Costa, probè his dictis quæ dotibus aucta probatur.  
Talis (crede mihi) non ficto corde timenti  
Æternum DOMINVM, divinitus additur uxor.

O te felicem, datur his cui dotibus uxor!  
O benè compositum parò bene congrua SPOOSÆ  
Nomina! divinumq; boni tam nominis omen!  
Margaris in conchis celesti rore marinis  
Nascitur, hæc non est gemmâ res carior ulla;  
Cordibus infectis hæc pellit quæq; venena,  
Hæc eadem quantò magis est iactata procellis,  
Tantò pura magis cunctorum crescit in usus.

Hoc igitur SPONSÆ læteris nomine SPONSE,  
Quâ cum legitimè jam vincla jugalia nectis:

Nam contra duros medicina Cupidinis arcus  
MARGARIS apta venit, quæ toxica corde fugabit:

Nulla premet thalamum vestrum fors aspera, quam non  
MAR-

**MARGARIS** auxilio tibi consilioq; levabit.

Dilige Sponse tuam **GEMMAM**, quæ flagrat amore  
Sponse tuo, hac unâ tibi gratior unio non sit:  
Cui toris est formæ decus, & cui pectore virtus;  
Fastus abest formâ, gestu lascivia, turpis  
Moribus asperitas; hanc solam agnosce maritam.  
Egregiè instituit teneram pia cura Parentum,  
Et docuit veros cum sedulitate salutis  
Fontes; hinc didicit mores, vitamq; Pudicam.  
Mater eam docuit curare domestica crebrò;  
Hinc audita fuit vetitos nunquam dare saltus,  
Nescia sed flammæ lascivæ, nescia fuci  
Margaris in conchis veluti se condit in aulâ.  
Hæc reticenda tacet, loquiturq; loquenda modestè;  
Hujus enim in linguâ lepor est & gratia s'avis,  
Quam docuit facilem mater carissima fari.  
Sermo index animi, candorq; pudicus, & acta  
Vita piè ostendunt, quàm sint sine crimine mores.  
Nullius arrodit famam, non iurgia iactat  
Improba, secum animo volvens, non ista decere  
Nympham; sic digito didicit cohibere labellum,  
Si genus aspicias prudenti hæc nata parente est,  
Nata parente pio, tamâ super æthera noto.  
Pectoris hujus enim novit Respublica dotes,  
De Sorabûm clarum quæ ducit nomine nomen,  
Vrbis **ATLAS** cuius fuit, & quâ gelsit in urbe  
Iustitiæ falces summo candore, fideq;  
Vir bonus, atq; tenax recti, atq; affabilis omni,  
Religionis amans **IVSTE** sua munia obivit.  
Sed cita rupère huic inimites stamina Parcæ,  
Hei mihi! quem merito deflent juvenisq; senexq;  
Mater ad huc superat, cuius vulgata per urbem  
Fama volat, cuius nota & Pietasque Pudorque.

A 3

Matris

Matris in hos mores it nata, DEVMq; veretur.

Hanc, pie Sponse, piam, solam hanc agnosce maritam.

Tu quoq; SPONSA tuum, qui Sponsæ flagrat amore

Dilige Sponsa tuum, solum hunc agnosce maritum:

Namq; à stirpe trahit virtutum semina SPONSUS,

Cuius in his oris non est incognita virtus,

A puero assuetus doctis est ire per artes,

Et puro didicit revereri corde Tonante in.

Hinc iuvenum splendor fuit, hinc laus magna, decusq; ;

Lucifer ut medio stellarum ex agmine multum

Emicat, & celo ante alias sua lumina spargit.

Patre pio genitus; cuius post fata superstes

Fama: sed ipsius genetrix sua gloria vivit.

Quàm benè conveniunt similes in amore jugali

SPONSORUM mores, castus queis uritur ignis!

O benè conjunctos! ô faustum nominis omen!

Compositum benè par valeat, benè corpora bina

Vnanimem b. no. serventq; in corpore mentem.

Sit Sponsis domus una, unumq; cubile duobus,

Vnio sit thalamo illorum, procul absit Erynnys;

Et sic MARGARIDOS nomen virtutibus æquent,

MARGARIS ut gemmis Sponso sit carior ipsis,

Et LVCA S. fulvo Sponsæ preciosior auro,

Ipse DEVS vitæ curas his diluat, ipse

Remq; domumq; beæt clemens, sic ordine longo

Læta propago p. is in longos floreat annos

Conjugibus, Lætam tranquilla per otia vitam

Hi ducant, gratisq; DEI memorabile nomen

Carminibus celebrent, mortalis carcere vitæ

Erepti ætherio dum transcribantur Olympo.

Ioannes Troldenrus Bern:

liberal. art. in Illustr. Gymnasio

tum temporis Studiosus:



Διάλεγθ', πῶς ἔπερροχὸν γαμηλὴν πειοχλῶ  
συλλαβαίων.

Νυμφῶν Ἐξίθ'.

Νυμφ. Ζεῖτε τίς ἐν ζωῆ μακροῦς; Ζεν. εἴω ἰδὲ ἀκοίτιν  
σώφρονα ἢ δ' ἀγλίον ἐν μαγάρεισιν ἔχειν.

Νυμφ. Τίς ἢ πέλει πλεῦτ' μὲν χεῖμασι πᾶσι ἀριςθ';  
Ζεν. βρῶμα ἢ εἴω οἰκί πῶμα πειοσὸν ἔχειν.

Νυμφ. Τοῖν τι ἀτὰρ πεφύρει; Ζεν. ΚΑΘΑΡΟΝ ΤΟ ΣΥΝΕΙΔΟΣ,  
ὅστις ἔχει, καλῶς ἀμφοτέρων γὰρ ἔχει. (εἰσεῖθε

Νυμφ. πῶς τὰδ' ἐγὼν δεχόμεν; Ζεν. χεῖρ πρὸς θεὸν ὄμμα πταίνεω  
ἢ χεῖρ πάντα θεοῦ αἰδρασιν ἐσθλὰ ἱέμεν.

Νυμφ. Ταῦτα μοι οὖν ἀάβαι πλεχθ' καθαρὸς τὸ ἔαζρόν  
ὦ πατέρω ἕσμα δεωτότα σεμνὲ δ.δ.δ'.

Ἐ αὐτοῦ.

## ODE NUPTIALIS.

**V**ides ne, vastis quàm nive candidus  
Sorabus agris eniteat latex?  
Et sentis oculis, gelu quàm

Flumina constiterint acuto?

Dissolve frigus, ligna super foco

Large reponens, atq; benignius

Deprome suavis capacem

Architricline Zythi diotam.

En involuto litibus arbitro

Zetema

Zetema pomis ambiguum novis  
Fastidioso tumescens  
Pectore ERIS movet ambigitq̃:  
An MARGARITAE murice Syrio  
Impurpurata vultibus inclutam,  
Praestante formâ puellam,  
Anteferas MARIAM scieret.  
Illam profectò sollicitâ manu  
Sic expolivit Diva potens Cypri,  
Miro ut decorem colore  
Possideat generosa virgo.  
Inelaboratam minime hanc dedit  
Minerva cultis Dædala crinibus:  
Miro at decorem lepôri  
Cum specie tulit huic ligatum.  
Tu dic, acuto qui genio vales,  
Qui perpolito Cyprigenæ, tuo,  
Sertum ferens molle Sponse,  
Iudicio haud Paridi secundus,  
Vtri rubellum reddere præmium  
Formâ puellæ conspicuâ putes?  
Noli moratus fateri  
Iudicioq̃ præoccupatus

Non

Non est in istis invidia locus  
Sermonibus; nunquam mihi suspicax,  
    Præoccupati sinistrè  
    - Iudicii gravis ulla mens sit.

Tu matre pulchrà filia pulchrior,  
Impurpurato murice purior:  
    Pomum tibi Margarita,  
    Munus uti proprium dicabo.

Imò, Pelasga sit modo dexterum  
Iunonis isthic auxilium mihi;  
    Sint gratia mi fauentes;  
    Sint Hymenæa mihi secunda,

Me, me tibi pomum redamabile,  
Quem fors dierum cunq̄ dabit, fero,  
    Tada tenendum iugali  
    Munus uti propria dicatum.

Sinu fovebis coniuge me tuo.  
Nam sævus horret Scorpius undiq̄  
    Dorsoq̄ portat Novembres  
    Frigoris egelidi rigores.

Dissolve frigus, ligna super foco  
Large reponnes, atq̄ benignius  
    Deprome suavis capacem

Architricline

*Archi tricline Zythum diotà.  
Nam lis diremta & iudice commodo  
Secuta concors pax dulcis caret:  
Nos festa voto sereno  
Composita faciamus hora.*

Iohannes Iacobus Aphroditæus,  
Helvetius Bernensis F

ALIVD.



Antabunt alij vanissima gaudia mundi,  
Sicri tui thalami gaudia SPONSE cinam.  
Sint procul o fescinnini risusq; salesq;  
Misceri sacris turpia rebus obest,  
Casta etenim mens est DEVS, atq; pudoris origo.  
Et castus casto carmine gaudet amor.

Ordo sacer thalamus, quo non præstantior alter,  
Et sacer est, cum sit lege revinctus, amor:  
Immaculatus amor quocunq; est purior igne  
Et flammâ ardenti pectora bina ligat.  
Namq; renatorum patrio de lumine lumen  
Pectora divino Flamme bina movet,  
Accendens in eis tunc purum desuper ignem  
Ritè sacerdotis munia CHRITVS obit;  
Crescite Multiplicans inquit, vos crescite juncti,  
Quos benè conjugio non male solvat homo:  
Hinc satio prolis servanda est ordine jusso,  
Hinc cum lege sua copula grata DEO est.  
Hinc vim corporibus: vitâq; , opibusq; , bonâq;  
Famâ , ceu septo conjugis arcet onus.  
Sic placet ergo DEO tua, candide SPONSE, voluntas,  
Quando voluntati congruit æqua DEI,  
Vult DEVS in nobis semper lucere pudorem,  
Quos ideo ad faciem condidit ipse suam.

Vifne

Visne status hujus tecum documenta vel usum  
Exigere? En arces, oppida, templa, Lares,  
Sacra quidem laudes & publica cura merentur.  
Tolle torum, quid erunt omnia? pænè nihil.  
Nam reliquis vitæ statibus status iste dat ortum,  
Publica res ortum, resq; sacra inde trahunt,  
Et sacer hunc operas ordo, Politiaq; navant,  
Omniemq; hunc contra vimq; dolumq; tegunt.  
Prosequor ergo tuas gratanti carmine tædas  
SPONSE decus SPONSAE, quam redamatus amas;  
Cum thalamos illa illa tuos feliciter intret  
MARGARIS, à multis virgo petita prociis.  
Omen inest SPONSAE variis virtutibus auctæ,  
Quæ pellucenti Gemma colore nitet.  
MARGARIN hanc propriò designant nomine Gemmam,  
Naturæ sociam qui retulere libris.  
En PVDOR & PIETAS, en hanc nitidissima Gemma  
Commendant, morum subsequiturq; LEPOS?  
Illa sedens tenui deducit stamina filo,  
Ut Venus in concha perstat in æde gravis.  
Ocia sicut apis formicaq; sedula vitans,  
Officij exequitur congrua pensa sui:  
Sermonesq; probè didicit frenare canoros,  
Commemoranda refert, rite tacenda tacet.  
En genus eximium! prudenti creta parente estis  
Qui summum munus gessit in Vrbe togæ:  
Vrbs Sorabum hunc coluit, sed nunc dolet atq; dolebit  
Vrbis patronum, quòd cita parca tulit.  
Et SPONSAE genitrix, muliebris gloria sexus,  
Seria adhuc IOVAM nocte dieq; timet:  
Castra tenax justis, frugalis sedula, egenos  
Quæ quacunq; potest parte juvare juvat.  
Hi juvenem recte Nympham instituere parentes,  
Codicis & fontes hi docuere sacri.  
Hæc laudata pijs virtutum est dotibus, atq;  
Sincera ducit nil pietate prius.  
Sat decorata venit, virtutum nomine clara  
Quæ pietatis amans sat decorata venit.

Ille

Illa tibi fulvo longè preciosior auro,  
 Hanc Lybicus Gemmis præposuisse velis.  
 Quæ dotes lecta spectari in virgine debent,  
 MARGARIDI has autor nominis ille dedit.  
 Qui sapit is non quærit opes sed pectus honestum:  
 Et PVDOR & PIETAS sint in amore DVCES.  
 Divitiæ possunt hominum sudore parari,  
 Solus est donum SPONSA pudica DEI.  
 Talibus aucta bonis cum jam tibi SPONSE marita  
 Iungatur quis non carmine lætus ovet:  
 Prosequor atq; tuas gratanti carmine tædas  
 SPONSA decus SPONSI, quem redamata colis,  
 Cum thalamos ille ille tuos feliciter intret  
 Lucas, qui castum pectore PECTVS alit,  
 Quem decorant PIETAS, CANDOR, PROBITASQVE FI-  
 Morum DEXTERITAS, ingeniq; DECOR. (DESQVE  
 Viuite felices, turbet discordia lectum  
 Nulla, & vos nunquam fors inimica premat.  
 Carpite concordēs bona fercula parata labore  
 Vestro, vos ditet dextera largā DEI.  
 Innumero nati cingant sic agmine mensam,  
 Atq; hilarent verè vos pietate sacra.  
 Vivite Mathusalæ longissima vivite secla,  
 Sic & sit vobis dulce in amore mori.

*Gratitudinis ergò F.*

*Iohannes Brendel junior.*

A L I V D.



Non subiecta oculis nostris, nec pervia menti  
 Præmia, nec nostros quoq; contingit sensus  
 Hosce manent, lovæ radio descripta, pudore  
 Quicunq; incolumi fatorum staminacomplēt:  
 Nec castum amittunt polluto corpore florem;  
 Sed tentant nuptas thalamis sociare paratis.  
 Sancta manent castos æternæ præmia vitæ;  
 Quæ, quoties sacri lustro spectacula verbi

De.

Despero nitido verborum effingere culcu:  
Quamvis eloquio possem contendere Vlyssi,  
Aut huic Cecropiæ quem mirabantur Athenæ.

Quis dubitet castas quin mentes ornet ametq;  
Rex cœli, qui nil præter castissima mens est:  
Sive senex igitur baculo subnixus acerno,  
Sive sit illæsi sibi-conscia virgo pudoris  
Seu iuvenis complens primævi corporis annos  
Ne dubitet, nunquam mercedis abibit inanis.

Qui superùm certat terris æquare pudorem,  
Dæmonis insultus, & inexorable fatum  
Subiecit pedibus, strepitum q; Acherontis avari.  
Et ( si vera canunt vatum prælagia ) soli  
Lætos successus cœli indulgentia spondet.  
Solum epulis Divi dignantur, Diva cubili.

Supplicibus votis omnes te sternere ad aras  
Quid iuvat infelix & Frustrâ delubra frequentas  
Polluis humanas gemina si coniuge leges;  
Aut si consueto mortalibus ustus amore,  
Contemnens cunctis concessæ coniugis usum  
Vel petulans audes Venerem temerare maritam  
Subdola famosæ petis aut medicamina flammæ.

Bestia qui veluti stimulante libidine sensus  
Asciscit sociam quæ tanta incendia sistat  
Quam nec naturæ nec Divum copula iungit,  
( Crede mihi ) exculsit sanctum de pectore flatum  
Huic Pietatis amor proiecta vilior alga est.  
Impuro tantum Sathanas lætatur amore,  
Nititur & solus tædas inhibere pudicas,  
Impuris gaudet congressibus : illius ergo  
Excubat in castris, Dominum Regemq; fatetur,  
Cui, quoties avidis est subdita flamma medullis,  
Non Venerem & cæci stimulos avertit amoris,  
Non sibi legitimo coniungit tœdere nuptam;

Sed

Sed sanctum illecebris gaudet temerare pudorem  
Seque ista Stygio coniungere labe Tyranno.

Cur pater ætherius, cur undis obruit orbem?  
Tanti causa mali fuit haud concessa libido.

Cum tellus, veluti vitis foecunda racemis  
Vere novo staret: cum millia multa Gigantum  
Incolerent terram, rerum pulcherrimus ordo  
Et facies mundi, splenderent sidera tanquam  
Oceanum liquidas quæ sunt purgata per undas:  
Turpis amor, lascivus amor, funesta Cupido  
Armavit superas: pluviolis nubibus instar  
Arietis est mundi quassataque machina: nulla  
Flectere tunc potuit mentem clementia Iovæ  
Irati, & dignas pendentis crimine poenas.

Cuius non trepidet iustâ formidine pectus?  
Scinduntur nubes, cursus flectuntur aquarum  
Insurgunt venti, miscetur murmure coelum  
Omnia perniciem spirant: non fusa per aras  
Thura Deus curat linguæ mortalis: At omnes  
Avocat ad poenas, vetitæque ad præmia amoris.

Quis non consistat Sodomæ stupefactus ad ignes  
Suspiretve tuas Iessei nate ruinas  
Quas trahis illicitæ flammæ pertractus amore?

Sed quis poenarum quævis Iova coercuit orbem  
Ob turpes flammæ, inconcessosque Hymenæos  
Nomina vel fando possit perstringere? Quoniam  
Ergo te ore canam (tua virtus celsior omni est  
Elogio) iuvenum flos, exemplarque pudoris?  
Compositos mores, sanctum mentisque vigorem  
Exornat, præsens, veluti Gangetide geminâ  
Propositum, vitam vitio quo excludis ab omni.  
Quantum congeries non fulvi vasta metalli  
Conciliare decus, veloxve ad munera dextra,  
Non, acri potior dextra, Prudentia, vellet:

Tantum



Tantum conciliant tibi nunc socialia iura  
Tantum nuncq; genus vitæ quod suadet honestas,  
Inter virtutes meritò quod maxima virtus.

Cùm tibi prima genas vestiret flore iuventa  
Cumq;ue annis vires sinerent tolerare labores  
Non canibus vel equis gaudebas; sed Pietate  
Spectata incedens inter flammam, inter & hostes  
Ducendæ hausisti præcepta accommoda vitæ.  
Ast nunc cum præstes ætate animoq;ue virili  
Nec dubites quæ sit quæ semita ducat ad astra  
Iam tempus dare vela Notis, par ère vocanti  
Iam tempus Veneri, vacuo discedere lecto  
Connubio astring, & generandæ incumbere proli,  
Quò quondam parvus tibi Lucas laudat in aula,  
Quoque tuum nomen mortalia fundat in ora,  
Quoque Dei doceat sectari iussa nepotes.

Effigiem ex cædro virtus tam sancta meretur  
Coniugis in thalamum lætæ descendere; quando  
Natura exoptat, castà distendere prole  
Atq; domum, Iovæ solennes quæ canat hymnos.  
Non hæc est pietas, detonso vertice fratres  
Quàm impuri simulant, tantum Veneriq; gulaq;  
Intenti, lucrum fictâ pietate latenter  
Quærentes. Ergò cui sit te extollere dictis  
In promptu; Laudum præconia digna tuarum  
Condere quis possit? Te virtus extulit astris  
Tuq; solo ingrediens caput inter nubila condis?

Quapropter meritò superi aspexere benigno  
Te, vultu, meritò te exaudivêre precantem;  
Ecce Dei natus thalami cui gaudia curæ  
Florem virgineum tibi consuetudine jungit;  
Adjungitq; tuo lateri, tibi consecrat uni  
Vxorem, t. eteris dignam contingere vittas,  
Cujus adhuc nullo violatum est crimine corpus,

Vxorem

Vxorem. Pariò splendentem marmore longé  
Purius, & gemma quæ fulvum dividit aurum.  
Quæ tibi primitias intacti sponte pudoris  
Offert; te gaudet Dominum atq; vocare maritum.  
Cujus in amplexu tibi dulces carpere somnos  
Laus erit; ornabit roseis tua tempora fertis  
Quæ tecum expatians vitæ per amæna vireta:  
Non poterit tantas Erycinna in pectore curas  
Figere; quas ea non svavi testudine pellat

Atq; statim ex animo tristi discedere cogat.

Ista tuos gelido sensus mœrore levabit  
Fessaq; restituet tua lumina, lumine formæ  
Vultusq; ætherei pulchro saturoq; colore.  
Si quando eripiet, luctus prænuncia, vires  
Fama, sequax rerum, non rarò fallere docta  
Assistet trepido; reddet solatia menti  
Confusæ: alloquio dulci minuetq; dolorem  
Et placido totum lustrabit lumine corpus.  
Tentabit quavis ratione placere marito.

Ergo quis vano, quis rerum currere motu  
Affirmet causas? Deus est qui præmia castis  
Offert; qui pœnis meritisq; coërcet iniquos.  
Iste tibi hanc offert, hanc donat, Sponse verende,  
Quæ casto castos præbebit conjugis ulus.  
Vtere eâ dum stas mortali hoc corpore clausus;  
Suspira q; illud tempus venerabile tempus,  
Quò nos anumeret cæli cortyna beatis,  
Quò nobis donet cælestia, munere, templa  
Qui cælum & terram regnorum sorte gubernat.

Debitæ observantiæ, & honoris ergo F.

Matthæus Radecius Dantiscanus,

№ 1996

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!



28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX





EM  
ATE,  
NON  
mi juve-  
EN-

PI-  
RITAE,  
; viri Dn.  
s ibidem  
ta;

amicis,  
omi-

cer,

70.  
76

